

10
1944

D. ANTONII
GOMEZII,
VARIARUM RESOLUTIONUM
TOMUS TERTIUS.



*Proprietario de la imprenta
Rebel Dringel, 1761*



D. D.

ANT. GOMEZ,

J. C. ERUDITISSIMI,

COMMENTARIORUM,

VARIARUMQUE RESOLUTIONUM

Juris Civilis, Communis, & Regii.

TOMUS TERTIUS.

DE DELICTIS.



PROOEMIUM.



HACTENUS quæ ad testamentorum contractuumque formam pertinent, satis superque tractasse mihi videor: hoc nunc reliquit est, ut ordinis suscepti memores tertiam Juris Civilis partem, eamque meo judicio potissimam, quam *De Delictis* fecimus, aggrediamur. Cujus tractatio eò mihi dignior visa est, in qua omnes nervos intenderem, atque (quemadmodum in extremo actu Comici solent) majori cum fructu ac voluptate ad finem suum perducerem, quòd hac Justitiæ pars, non solum inter nostros, verùm etiam inter Barbaros, & ceteros, qui moribus reguntur, homines, tantam vim habeat, ut bonis præmia, contra verò malis supplicia proposita esse videamus. Honor enim, & supplicium (ut dicebat *Theophrastus*) fidelissimi sunt rerum publicarum, omnique humane societatis custodes, atque ob eam causam, poenam ac beneficium Assyrios pro diis coluisse sulitos arbitror, quòd mal-factorum vindicta homines ad bene honesteque vivendum promptiores evadere, impunitatis verò spe moralium animos criminibus invitari cernerent. Effecit igitur cum diuturnus atque improbus labor, quem jam à primis adolescentiæ annis juri dicundo insumpimus, rùm frequens, & assidua in judiciis exercitatio, ut confidentius, & ut spero, pari cum utilitate hunc tractatum absolverem: in quo, præter antiquas Jurisconsultorum contrariasque sententias, quas composuimus, Juris utriusque decisiones, quæ variè diffusèque circa crimina agitari solent, sic in unum coegimus, ac temperavimus, ut & veterum legum sanctionibus, & consuetudinis jure (suas enim quæque Respublica, variatque poenarum formas pro sapientum virorum arbitrio sibi constituit) uti possis. Primum igitur de Delictis in genere, ceteras deinde applicantes criminum species, constitutaque illis jure supplicia, dicemus.

Ant. Gomezii Variæ Resol. Tom. III.

A 2

CAPUT